C

EX GALENO.

Anagallis utraq; tam ea quæ florem parit cœruleum, quàm ea quæ puniceum, admodum extergendi facultatem obtinent. Quendam etiam calorem attractoriũ possident, ita ut impactos corpori refigant aculeos. Succus earum ex naribus purgat eadem de causa. Et ut summatim dicatur, exiccatoriam citra mordicationẽ facultatem habent, quamobrẽ uulnera glutinant, & putrida adiuuant.

EX PLINIO.

Vtriusq; succus oculorum caliginem discutit cum melle, & ex ictu cruorem, & argema rubens, magis cum Attico melle inunctus. Pupillas dilatat, & ideo hoc inunguntur antè, quibus paracentesis fit. Iumentorũ quoq; oculis medentur. Succus caput purgat per nares infusus, ita ut deinde uino colluaẽ. Bibitur & contra angues succi drachma in uino. Mirum, quod fœminam pecora uitant. At si decepta similitudine (flore enim tantum distant) degustauere, statim eam quæ Asyla uocatur, in remedio quærunt. Ea à nostris ferus oculus nuncupatur. Præcipiunt aliqui effossuris, ante solis ortum, priusquã quicquid aliud loquantur, ter salutare eam, tunc sublatam exprimere, ita præcipuas esse uires. Vrinam cient Anagallides. Iecinori mirè prosunt. Cohibent quas nomas uocant. Vtiles & recentib. plagis, præcipuè senum corpori. Ad recentia quoq; uulnera tanta traditur uis, ut saniem ossibus extrahant. Anagallis cœrulea procidentia sedis retro agit, è diuerso rubens proritat.

Superstitiosum.

DE ALSINE. CAP. VII.

NOMINA.

Morsus gallinæ.

ΑΛΣΙΝΗ græcè, Auricula muris latinè, Morsus gallinæ uulgò appellatur, Pauerina Italicè, quod paueris, id est, iunioribus anseribus gratum pabulum sumministret. Auiculas caueis inclusas, cum fastidiunt escã, aucupes hac herba recreare solẽt. Hinc germanicè Vogelkraut/ Hůnerserb/Hůnerderm/Hůnerbiß uocatur. Alsine autem dicta est, quod lucos, quæ Græci ἄλσα nominant, nemorosaq; & umbrosa loca amet. Auricula uero muris, quod musculorum auribus folia similia habeat.

Alsine cur dicta.

Auricula muris.

GENERA.

Quamuis Dioscorides & alij unam tantum Alsinen faciunt, nos tamen tria eiusdem genera, licet plura adhuc inueniantur, damus. Primum genus Alsinen maiorẽ uocauimus, quod scilicet uera sit Alsine, & alijs maior, germanicè Hůnerderm nominatur. Alterius generis plantam Alsinen mediã appellauimus, germanicè Hůnerserb. Hæc quod ad flores attinet, qui cœrulei sunt, à descriptione uariat: eiusdem tamen cum priore facultatis. Tertij generis herbam Alsinen minorem uocauimus. Hæc, quidem, ut prima, pulchrè descriptioni respondet, germanicè Kleinuogelkraut nuncupatur.

FORMA.

Cauliculis serpit rotundis, è quorum geniculis exiles ramuli prosiliũt, folijs Helxines minoribus, minusq; hirsutis, flore exiguo, candido, foris herbaceo. Hæc cum teritur cucumis odorem refert. Non autem illam Peponis maturi iucunditatem, sed herbaceum cucumeris odorem subolet. Porrò cum Dioscorides Helxinæ similem esse Alsinen tradit, non de ea Helxine quæ uulgò Parietaria, sed ea potius quæ alio nomine Cissampelos dicitur, intelligas oportet: hæc enim folia Hederæ haud dissimilia obtinet. Adeò ut liquidò iam cõstet, Alsinen esse eam herbam quam passim hodie Morsum gallinæ appellant. Huc accedit quod facultates, ut ex sequentibus patebit, quas uulgus Morsui gallinæ tribuit, ab Alsines uiribus nihil uarient.

Helxine duplex.

LOCVS

Nascitur in lucis, hortis, & maximè in parietibus, macerijs, opacisq; locis.

TEMPVS.



ALSINE
MAIOR